

Dissertatio medica inauguralis de enteritide : quam, annuente summo numine, ex auctoritate Reverendi admodum viri, D. Georgii Baird, SS. T. P. Academiae Edinburgenae Praefecti, necnon amplissimi Senatus Academici consensu, et nobilissimae Facultatis Medicæ decreto : pro gradu doctoris, summisque in medicina honoribus ac privilegiis, rite et legitime consequendis / eruditorum examini subjicit Georgius Wylie, Scotus.

Contributors

Wylie, George.

Baird, George Husband, 1761-1840.

University of Glasgow. Library

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebant Abernethy & Walker, 1810.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/m8nenycf>

Provider

University of Glasgow

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted.

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ENTERITIDE.

DISSECTATIO MEDICA

DE

ANATOMIA

32

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS

DE

ENTERITIDE ;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO ;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS ;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GEORGIUS WYLIE,

SCOTUS,

SOCIETAT. REG. PHYSIC. EDINBURGENÆ

SOCIUS EXTRAORDINARIUS.

=====

VIII. Kalendarum Julii, hora locoque solitis.

=====

EDINBURGI :

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

1810.
c

DISSERTATIO
IN AERIALIBUS

ENTERTINDE

D. GEORGI BAIRD, SS. T. P.

GEORGIUS WYLLIE

Wm. Robertson, Libr. & B. S. P.

1810

PATRI SUO,
HUGONI WYLIE,

HOC OPUSCULUM,
PIETATE QUA DECET,

SACRAT

FILIUS.

LIBRARY OF THE

PATRI SHU

HUGONI WYLLIE

BOC OPUSCULUM

LIBRARY OF THE

SACRAT

LIBRIS

LIBRARY OF THE

LIBRARY OF THE

VIRO SPECTATISSIMO,
JOANNI WHITE,

CHIRURGO,

ARTIS APOLLINARIS,

QUAM, PLURIMOS ANNOS,

PASLETI,

FELICISSIME EXCOLUIT EXERCUITQUE,

PERITISSIMO ;

QUI HUIUS ARTIS NOBILISSIMAE PRINCIPIIS

CUM PRÆCEPTIS TUM EXEMPLO

MENTEM SUAM IMBUIT,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

D. D. C.QUE

ALUMNUS

GEORGIUS WYLIE.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

JOHN W. WHITE

GEORGE

ARTHUR M. COLLIER

QUAM, P. L. L. L.

P. L. L. L.

ALUMNI

ALUMNI

ALUMNI

ALUMNI

ALUMNI

ALUMNI

ALUMNI

ALUMNI

ALUMNI

VIRO ERUDITISSIMO,

JACOBO MILLAR, M. D.

NON SOLUM ARTIS MEDICAE,

SED SCIENTIAE OMNIGENAE,

PRAECIPUE RERUM NATURAE,

COGNITIONE

HAUD MEDIOCRITER ORNATO ;

PROPTER BENEVOLENTIAM AC COMITATEM,

QUIBUS SE SEMPER PROSECUTUS EST,

HANCCE DISSERTATIONEM INAUGURALEM

SACRAM

VULT

AUCTOR.

VIRO ERUDITISSIMO,

JACOBO MULLER, M.D.

NON SOLUM ARTIS MEDICAE

SED SCIENTIAE ORIGINARIAM

BRANCHUM REIPUBLICAE NATURAE

COGNITIONE

HAUD MEDIOCRITER ORNATO;

PROPTER BRITANNIAM COGNITAM

QUIBUS SE SEMPER PROSECUTUS EST

HANC DISSERTATIONEM IN AUREAM

RECEPIT

1772

EDIDIT

JOANNI THOMSON, M. D.

CHIRURGIAE PROFESSORI,

NECNON

COLLEGII CHIRURGORUM REGII EDINENSIS

SOCIO ;

HOC, QUALECUNQUE, TENTAMEN,

PLURIMIS BENEFICIIS DEVINCTUS,

CONSECRAT

AUCTOR.

JOANNI THOMSON, M. D.

CHIRURGICAE PROFESSORI

COLLEGII CHIRURGICORUM REGII EDINBURGENSIS

SOCCIO

HOC QUALITERQUE TENTATA

Mr Crawford Esq.

with the Authors best wishes

AUCTOR

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ENTERITIDE.

PROŒMIUM.

OMNES fere morbi, prae causis et natura, in classes dividi possunt ; nempe, qui vel malam fabricam organicam, vel qui quasdam causas, quae, si notae fuerint, plus minusve vitentur, agnoscunt. Quidam ex his subito invadunt, et functiones vitae proprias maxime turbant ; alii vero tarde et per insidias accedunt, motusque corporis vitales adeo incomperte lae-

dunt, ut, serie novarum actionum morbida-
rum confirmata, auxilium medici nihil valeat.

Intestinorum et eorundem tunicarum in-
flammatiō ad classem posteriorem est referen-
da. Interdum aeger subito et vehementer
corripitur : aliquando autem enteritis in gan-
graenam, etiamve in mortem desiit, vix ullis
aut *pyrexiae* aut doloris signis prodeuntibus.
Sed quandam propter causam enormem,
signa hujus inflammationis propria, praecipue
ratio arteriarum pulsus, periculum instans ne-
quaquam indicant, quod in morbo tam gravi
clare ostendi expectandum erat.

Inflammatiō, praesertim in majoribus cor-
poris cavitatibus, intra certos eos limites, quos
notare consuerunt medici, non semper arcte
continetur ; quod facile intelligatur, si quis
evolvat, aut Epistolas Baptistae Morgagni de
Sedibus et Causis Morborum, aut Josephi
Lieutaud Historiam Anatomico-Medicam.

At vero inciso cadavere, inflammatio videtur viscera invicem contermina, quantumcunque structuram et functiones inter se discrepent, prae ejusdem visceris ampli partibus longius distantibus, invadere : quamobrem in hocce tentamine practico de enteritide, una cum peritonitide, tanquam de eodem morbo disserendum erit. Intestina, peritoneum et omentum fere simul inflammantur ; indicia mendendique ratio plerumque sunt similia.

DEFINITIO.

In celeberrimi Doctoris Culleni systemate Nosologiae Methodicae, Enteritis in prima classe *Pyrexiae*, et ordine *Phlegmasiae* locum habet ; et his verbis definitur : “ Pyrexia typhodes ; dolor abdominis pungens, tendens,

“ circa umbilicum torquens ; vomitus ; alvus
“ pertinaciter adstricta.”

Neque vero in hoc morbo arteriae semper debilius, exilius, et contracte ; at interdum plenius, validius, et dure micant : vomitus non ineunte, sed morbo proVectiore et graviore invadit ; et dolor pressura vel corpore erecto semper augetur. Quare enteritis, ratione sequenti, potius definienda esse videtur.

Pyrexia plerumque typhodes ; dolor abdominis pungens, tendens, circa umbilicum torquens, pressura vel corpore erecto auctus ; saepe vomitus ; alvus pertinaciter adstricta.

HISTORIA.

ENTERITIS a Culleno in duas species est di-
visa, *Phlegmonodeam*, nempe, et *Erythemati-*
eam: in illa, urgent dolor acutus, *pyrexia* ve-
hemens, vomitus, alvus adstricta; in hac
atitem, dolor et *pyrexia* sunt leniora, sine vo-
mitu et alvo fluente.

De inflammatione phlegmonodea primo di-
cendum.

Huncce morbum praegredi solet aut alvus
adstricta aut colica spasmodica, vel ex intesti-
ni obstructione, vel a frigore, exorta. Acce-
dit cum horrore, et aliis signis *pyrexiae* soli-
tis: aeger vexatur doloribus ventris hic illic

potissimum saevientibus, qui per totum abdomen cito patent: tegumenta intumescunt: venter dolens tactum refugit, et dolor aut motu aut corpore erecto maxime intenditur: muscoli ventris inaequaliter, separate, et vehementer sese contrahunt, adeo ut in abdomine duri tumores discreti, similes globis in marsupio, videantur: intestina stercore duro et spiritu praeter modum opplentur; fibrae vehementer atque sine lege contrahuntur, et aeger miserabilis prae doloribus saevis sese obtorquet: multo irritabilius sensibiliusque fit intestinum: nausea, et vomitus creber violensque invadunt: quae evomuntur, si pars intestini tenuior afficiatur, biliosa sunt aut subnigra; si vero crassior, stercorea et foetida; imo, quae in alvum infunduntur, morbo graviore quoque per os rejiciuntur: hunc morbum *ischuria* vel *dysuria* nonnunquam comitatur, quibus signa magis ingravescunt.

Quantumcunque mala saeviunt, raro aut nunquam aeger delirat.

Arteriarum motus plerumque frequens, exilis, et contractus; inter sanguinem mittendum plenior, mollior, atque tardior fit: hoc vero nondum elicito, interdum est validus, plenus, et durus.

Respiratio eandem fere rationem habet. Et inspiratio et expiratio, ob dolorem genitum visceribus abdominis pressis per actionem mutuam septi transversi et musculorum abdominis, difficilior est.

Omnia secernenda diminuuntur et corrumpuntur. Torquent sitis magna, lingua sicca ac sordida; cutis aret et calet; urina est parca, rufa, redditu difficilis aut omnino suppressa.

Praeclarus Hoffmannus opinatur partem

intestini fere ipsissimam, quae inflammatur, doloris sede dignosci posse: sed nonnulli haud parvi nominis hanc diagnosin nimis elimatam, nimis difficilem, et in ipsa curatione inutilem, judicant; plures tamen non minus illustres opinantur hanc esse rem magni momenti, quandoquidem morbi gradum, necnon remedia, quae ad eum curandum conveniant, saepe ostendat.

Enteritis vel sanatur vel in pejus ruit.

Terminationes sunt quatuor, nempe,

I^{mo}, Resolutio.

II^{do}, Gangraena.

III^{tio}, Suppuratio et exulceratio.

IV^{to}, Scirrhus aut callositas.

Resolutio aut sua sponte, alvi fluxu, aut ratione medendi idonea morbo ineunte peracta, accedit. Hujus signa sunt sequentia, nempe, morbus mitior factus; nullus vomitus; dolores migrantes et gradatim cessan-

tes; alvus et purgantibus et enematis respondens; pyrexia mitescens; abdomen tactum minus refugiens; secernenda et excernenda, appetentia cibi et artuum vires sensim restituta.

Gangraena superveniente, omnia fere signa quiescere coeperunt; unde aeger et quidem ei ministrantes crisin accessisse, ut falso statuerent, inducuntur. Hunc in errorem praecipue incidunt, si invadat gangraena praegressis inflammationis signis tam levibus, ut non apparuerint, vel parvi injuria habita fuerint. Dolores subito cessant; abdomen magis tumet, sed tactui non dolens, percussus nil fluctuat, sed obscurum tympani sonum edit: pulsus arteriarum fiunt debilissimi, abnormes, volitantes, et adeo crebri ut vix vel ne vix numerari possint: urgent suspiria, sensusque in praecordiis anxietatis auctus: venter magis magisque intumescit, et multum spiritus pessime olentis et ore et alvo reddi-

tur : vires maxime resolvuntur : vultus *faciem Hippocraticam* induit : extrema frigent, et torpent, et sudoribus glutinosis madescunt : omnia secernenda dant signa putredinis, et corpus cadaveris odorem emittit : livor cutis, praecipue sub unguibus, una cum gangraena internarum partium, oëcurrit; muscoli sphincteres dicti resolvuntur : stercus, urinaque, aegro invito, elabuntur : tendines subsiliunt atque muscoli convelluntur : singultus invadit : et aeger exanguis vitam cum morte brevi commutat.

Inflammatio intestini ut rueret in gangraenam maxime proclivis est, et, (ut inquit Morgagnus), “ Pars nulla fortasse facilius, et citius quam intestina, nihil ejusmodi suspicante medico, abit in gangraenam et nigra fit :” et pluribus autem in exemplis aeger quidem fuit mortuus horis viginti quatuor vix revolutis post morbi accessionem.

Partem suppurasse dijudicamus, cum, mor-

bo dies octo vel duodecim perstante, remedia idonea nil valuerint. Praegrediuntur subitanea doloris remissio, horror, vultus pallens et rubens alternis vicibus : abdomen detumescit, perstante praecordiorum anxietate : primo pulsus et respiratio fiunt tardiores : diebus tamen circiter duabus elapsis, arteriae crebrius, atque exilius micare coeperunt : spirandi difficultas currendo, accliva loca petendo, aut aliquo motu augetur : horrores ingravescunt, et tandem febris quotidie revertens, accessionibus meridianis et vespertinis, remissione, vix aut ne vix quidem *apyrexia*, matutina, aegrum invadit : sub nocte, sudores colliquantes, urina sedimentum furfuraceo-lateritium deponens hominem vexant. Haec febris, *Hectica* nominata, serius ocius aegrum e medio semper tollit ; nisi abscessus (ut recte notat Cullenus) intus prorumperetur, et exulceratio inde oriens cito sanesceret.

Verisimile est scirrhum invasurum, si mi-

tiores fuerint notae, et si morbus diu perstiterit, sine proclivitate ad ullas alias terminationes evidentes. Haec accedat a causis excitantibus diu vel saepius admotis, dum eodem tempore, prae corporis conditione aut aliis rebus, signa inflammationis non valde ingravescent.

Existimemus hunc scirrhum esse duritiem vel callositatem morbidam, atque constrictionem cujusve intestini partis sequentem.



CAUSAE.

QUAE malum inducunt, sunt duplicis generis; praedisponentes, nempe, et excitantes.

imo, Causae, quae ad enteritidem corpus

proclive reddunt, sunt, quicquid alvum adstrictam, aut colicam spasmodicam, aut hernias inducere possit; ut aetas provectora; vita sedentaria atque ignava; plenitudo totius corporis; et denique, ut nonnulli volunt, ea corporis conditio qua fibrae fiunt duriores atque rigidiores.

Ido, Attamen causae excitantes vel occasionales multo magis valent, et sunt sequentes, nimirum, colica, aut spasmis aut aliunde orta: constipatio ipsa cui non supervenit colica: volvulus: mutationes temperiei subitaneae; vel frigus corpori calefacto admotum: callositas, aut scirrhus, aut tumores, aut vulnera intestini: intestina invicem implicata et accreta vel intussuscepta; aut irritata vel ex hernia strangulata, vel a *lithotomia*; a vulneribus etiam ventris et aëre accedente: tumores mesenterii et ejus glandularum: acria ingesta, nempe, alvi purgantia acriora: stimulantia validiora: venena; aut metallica,

ut oxida et sales hydrargyri, arsenici, plumbi, vel cupri; aut e plantis, ut plurimi fungorum: cibi aut potus intemperantia: acria vel in ventriculo, vel in intestinis genita: calculi: vermes: fortasse etiam humoris arthritidis, rheumatismi, seu erysipelatis, metastasis. Sed prae omnibus, causae longe frequentiores sunt, obstructions intestini: colica: frigus corpori calefacto, aut abdomini, aut pedibus praesertim admotum. Ex his, frigus eam attentionem, quam meretur, a medicis non obtinuit. Frigus non modo ut valentior causa excitans, sed etiam, ob consensum mirum quo partes internae cum cute committuntur, proclivitatem daret, eoque, alvum adstrictam, colicas, inflammationes inducit; dum vasorum constrictio extremorum simul sanguinem ad partes corporis internas validius propellet.

RATIO SIGNORUM.

OMNIA fere signa hujus morbi propria referantur, vel ad sensilius et irritabilius intestinum, ut dolores et motus intestini spasmodici; vomitus; inversa actio peristaltica; vel, ad consensum generalem, prae commercio nervorum, inter partem laesam et alias omnes intercedentem, scilicet, pulsus typhodes; distentiones nervorum abdominis; urinae difficultas, etc.

DIAGNOSIS.

ENTERITIS a colica non facile internoscitur. Diagnosis pluribus in exemplis est difficillima; nihilominus magni momenti est; quia in colica inflammatio saepius abest, et mittere sanguinem rarius minusque opus est; sed vero in enteritide missio sanguinis sola potest aegrum morti eripere.

In inflammatione intestinorum abdomen sub tactu maxime dolet, et pyrexia gravis comitatur: dolor tamen in colica pressura levatur, et nulla fere adest pyrexia: umbilicus multo magis ad dorsi spinam in colicis, potissimum in colica pictonum, retrahitur: in qua etiam, primo, sensus anxietatis in ventriculi

regione sentitur : saliva autem in hac est subdulcis atque subcoerulea : cutis alget ; crura torpescunt : summa virium resolutio adest : postea dolet ventriculus, aut imum abdomen : alvus adeo perninciter est adstricta, ut clysteres administrari non possint ; vel *scybala* solum dejiciantur : nunc pulsus arteriarum interdum intenduntur : cutis calescit : vertigo et dolor capitis invadunt ; atque stupor aut delirium immane sequitur : pulsus tunc fiunt abnormes, et nervorum distentiones vel stupor aegrum tollit : sed, cum homo non tam cito conficitur, morbus in manuum pedumve *paresin*, in asthma, in nervorum resolutionem, aut in icterum desinit. In enteritide tamen, omnes fere hae notae omnino absunt.

Ab hepatitide dignoscitur enteritis dolore non ad humerum dextrum tendente ; cute, oculis, et urina non flaventibus.

A nephritide, doloris sede, atque dolore cursum ureteris non sequente.

In gastritide, vomitus, singultus magis urgent, ac ventriculus ne quidem minimam aquae quantitatem retinere potest: sed dolor urens circa umbilicum torquens et retractio absunt.

Ab omnibus aliis autem morbis, historia morbi praecedente potissimum dijudicetur.

PROGNOSIS.

Ex cogitatione morbi historiae sedula, eventus quam facile intelligitur.

Si signa fuerint mitiora, et idoneis reme-

diis administratis, cito cesserint : si pus, indi-
ciis suppurationis praegressis, cum stercore
dejiciatur ; si sudore miti atque calido totum
corpus diffluat ; lingua fiat magis splendida
et humida ; sitis nauseaque sedentur, et cibi
cupiditas redeat, actione intestinorum sana
simul sensimque restituta, et inde exulcera-
tione sanescente ; denique si quiescat febris
hectica ; exitum faustum augurari licet.

Malum vero eventum esse oportet, cum
signa valde ingravescentia plures dies per-
sistent, et humor, suppuratione invadente, in
cavitatem peritonaei aut pleurae erumpat: fe-
bre hectica simul intenta, et spirandi difficul-
tate et aqua intercute invadentibus, nam, (ut
monet Boerhaavius), “ Si sit in intestinis ab-
“ scessus, ex centum vix unus resurgit.” In-
dicia autem sunt pessima, si inflammatio,
praecipue aetate provectorum torquens, maxime
urgeat : si vomitio alimentorum et quidem
stercoris vel clysmatum augeatur. Si super-

venerint signa gangraenae, praenuncii mortis sunt certissimi.

Si existimetur a signorum duratione scirrhum invasisse, caute et plerumque infelicitate de eventu augurandum: in intestinis enim saepe mala quam plurima atque lethalia pendent a scirrho ibi nato: signa graviora subleventur; sed morbus, vel inanitione vel inflammationem excitando citius aut serius semper aegrum occidit.

SECTIO CADAVERIS.

CADAVERE reserato, haec in conspectum plus minusve veniunt; scilicet, humor serosus: intestina spiritu mire distenta aut disrupta; sanguine aut pituita repleta vel stercore infarcta: peritonaeum et omentum et intestina rubent aut viridescunt, itemque in qui-

busdam locis livent ; lamina lymphæ coactæ teguntur : intestina partibus vicinis adhaerescunt ; et invicem complicata atque accreta vel a sede depulsa : invaginationes, tumores seu abscessus intestinorum. Videntur etiam, nonnullis in exemplis, intestina callosa seu scirrhusa ; erosa et exulcerata ; gangraenosa ; et quidem stercus ex intestino dirupto in cavitationem peritonæi effusum.

Hic subjicere liceat exemplum ex operibus
Lietaud excerptum *.

* “ Juvenis viginti annorum ad varios pectoris morbos
“ proclivis, et macilentus, cum alvo adstricta ; post exercita-
“ tionem immodicam, *dolore interaneorum*, cum rigore, nau-
“ sea et lassitudine, corripitur. *Tumet abdomen* ; lotiumque
“ parce fluit. Pulsus exilis exploratur, cum sudore frigido.
“ Interea erumpit *vomitus* ingestorum, cum nonnullo levami-
“ ne. Persistente vomitu colluviei viscidæ et biliosæ ; sol-
“ vitur alvus cum dejectionibus biliosis et porraceis. Pos-
“ tea exacerbantur abdominis dolores, cum tensione et reni-
“ tentia, præsertim in hypogastrica regione. Tandem refri-
“ gerantur artus, et septimo morbi die ultimum fatum subit.”
“ Stagnabat in abdomine copia seri sordidi et purulenti.

MEDENDI RATIO.

IN hoc morbo consilia medendi sunt, inflammationem vincere; alvum solvere; signis molestioribus occurrere; et vires reficere.

imo, Ut inflammatio resolvatur, sanatio quam celerrime est promovenda, statim instituendo largam sanguinis missionem, et si opus sit ad deliquium animi, usque ad vicem quartam ea repetita. Pulsus *typhodes* medicum a sanguine copiose et saepius mittendo non absterrere debet; quia, arteriae, inter

“ Epiploon, intestina et peritonaeum invicem haerebant; epiploon putrido, ad pelvim usque descendente, vesicae accreto.
 “ Intestina demum invicem agglutinata deprehendebatur;
 “ mesenterio toto purulento.”

detractionem sanguinis, plenius lentiusque micant, aliaeque oppressionis notae cito evanescent. Interdum cucurbitulae cruentae abdomini aut lumbis admotae profuerunt.

Vesicatoria, statim post balneum et fotum, fere semper sunt adhibenda, et multum juvant. Saepissime accidit, inter exulcerandum, ut purgantia leniora alvum solverint, cum omnia alia instrumenta ad intestinum excitandum idonea nihil valuerint : ex sanguinis jactura quoque idem effectus praecipue ortus fuit.

II^{do}, Resolvi potest alvi adstrictio aut purgantibus, aut clysmatis. Primo de iis quae corpus movent dicendum.

Summa ope niti, ut obstipatio resolvatur, decet ; primo purgantibus lenioribus, ut oleo e seminibus non calefactis ricini expresso : sed ob fastidium quod plerumque excitat,

saepissime vomitu rejicitur. Saepe cum fructu exhibuimus solutionem ad calcem paginae sequentem, et fere semper eam retineri vidimus* ; dum non solum purgantia alia mitiora, sed jusculum bovinum et aqua quidem ipsa, paulo postquam devorata fuerint, vomitu rejecta sunt.

Quae alvum acriter expurgant, caute adhibenda. Sunt, infusum cassiae sennae foliorum : pulvis convolvuli jalapae : et prae caeteris, submurias hydrargyri, quod sub forma pilularum, granis xx acceptis raro rejicitur.

Nunc de enematis agendum. Alvus lotionibus sequentibus ducenda est : omni bi-

* ℞. Sulphatis Magnesiae, unc. ii.

Sacchari Purificati, semunc. solventur in

Aquae Purae, unc. vi ; dein addentur

Magnesiae, drachm.

Aquae Menthae piperitae, unc. ii. ; sint M.

cujus detur uncia singulis semihoris vel quaque hora, phiala

agitata, donec corpus sit solutum.

horio aut trihorio injectis, multum prosunt, aut enema domesticum, aut purgans, Ph. Nosocom. Reg. Edin. quod infra sequitur*. Clysmata e terebinthina olim saepissime in usu erant, sed rarius apud nostrates, quod nimium stimulant.

Acetum aqua dilutum pro lotionem morbo medebatur; quod narrat illustr. Boerhaavius his fere verbis. Dolor intolerabilis ad ventrem occupavit virum die aestivo, in summo aestu; eratque ileus et sudor frigidus accedebat: accedit medicus, qui, videns ex dictis signis hunc esse morbum, injiciebat aquam cum aceto; statim ad primam injectionem do-

* ℞. Foliorum Cassiae Sennae, unc. jss.

Seminum Coriandri Sativi Contusorum, unc. ss.

Supertartritis Potassae, drachm. ij.

Aquae Fontanae, lib. j.

Supertartritrem potassae in aqua coquendo solve; deinde liquorem adhuc ferventem sennae et seminibus affunde; macera per horam in vase operto, et frige factum cola.

lor remittebat ; quovis bihorio enema repetebatur, donec omnis dolor et malum abiit.

Infusa aut fumi nicotianae tabaci pro enemate non nisi in extremis administranda ; ut Gregorius hacce in Academia erud. prof. et plures haud parvi nominis, existimant ; quod nauseam gravissimam et vomitum intentum, summamque virium resolutionem moliantur.

Postremo, magna moles aquae tepidae in colon injecta saepe multum laudatur. Movet stercoris, spiritusque exitum faciliorem ; atque dolorem potissimum levat. Facit non solum ut stercora dura obstipatione diuturna facta emoliantur et solvantur, sed ob ejus calorem humiditatemque, pro fotu maxime valet ; aliisque praestat, quia non excipitur frigore ab evaporatione oriunda, et partibus affectis propior applicetur. Nonnullis in exemplis aqua tepida usque ad libras octo aut novem

injecta fuit; sed plerumque colon majus quam libras quatuor vel quinque humoris continere non poterit: quare, moles aquae injectae non multum augeatur, ne valvulam coli dirumpat.

Cum haec omnia remedia corpus solvere non potuerint, aqua gelida in pubem et femora aut in pedes improvise affusa valet. Remedium tamen anceps est.

III^{tio}, Signa molesta sunt, irritabilitas viscerum concoquentium et dolor.

Vomitibus opio sedatur: sed morbo ineunte, opium, et quicquid stimulet aut alvum magis astringat, sedulo evitari oportet.

Inflammatione sublata, et vomitibus et torminibus saevis solum manentibus, opium aut succus hyoscyami nigri spissatus maxime valet,

præcipue cum submuriatis hydrargyri idoneis quantitibus commistus.

Dolor levâri potest tepidario; et si hoc non facile adhibeatur, fôtus multum prosint.

Veteres saepe monuerunt aegrum descendere in oleum calidum, vel ejus abdomen oleo bene perfricare: aut integumenta animalis jam occisi ventri admovere. Sed tepidarium, et inunctio oleo calefacto et fomenta calida, apud nostrates solum in usu sunt.

Dolor autem magnopere sublevâri potest, calore toti corpori modico admoto, ope panni lanei, aut vesicae lagenaeve aqua calida impletæ; et denique omnimodo frigus evitâdo.

iv^{to}, Vires sustentare et reficere quae polent.

Morbo perstante, victus debet esse liquidus et parcus. Potus sit aut pulmentum aut panis tosti infusum.

Inter convalescendum, cibus esse concoc-
tu facilis atque nutriens cum vini pauxillo
debet : adhibenda quoque sunt modica exer-
citatio diurna si coelum sit serenum ; balne-
um frigidum, post quod, corpus panno laneo
statim fricetur ; enemata emollientia donec
alvus semel bisve in die sit soluta, ne con-
stipatio rediret.

Corpus autem a coelo frigido bene defen-
dere oportet, tegendo abdomen panno laneo
duplicato, et corpus fascia ab axilla usque ad
pelvim obvolvendo ; vestimentis quoque la-
neis : quia ad praecavendum hydropes, visce-
rumque obstructions et inflammationis ipsius
redituram, haec potissimum pollent.

*ENTERITIS ERYTHEMATICA.*

NUNC de hac specie disserendum. Forsitan multo frequentior quam phlegmonodea accedit enteritis erythematica; et ex conspectu cadaverum sectorum videtur, hanc inflammationem homines invasisse nec dolore nec pyrexia comitata.

Signa sunt, dolor; sensusque caloris in abdomine: *anorexia*: praecordiorum anxietas: pulsus quam in sanitate paullulo frequentior: inflammatio erythematica in ore et faucibus, unde per totum intestini canalem patet. Morbus autem plerumque est symptomaticus. Quae morbum excitant, sunt, acria ingesta: metastasis erysipelatis a capite aut extremis

subito recedentis : gastritis erythematica :
alique morbi plurimi praegressi.

Medendi ratio est, adhibere pulmentum ;
diluere acria ingesta ; et corpus lotionibus
lavare. Si sensus caloris et pyrexia graviora
fiant, mittatur sanguis, ni vetet corpus exte-
nuatum, quod convalescentibus a febre sae-
pissime accidere solet.

FINIS.

178

DE PONTIFICIBUS

capitulum de pontificibus: quibus
etiam in hoc libro tractatur

De pontificibus et de eorum
divinis actibus et de eorum
potestate. Si quis ecclesiam
sine pontifice regere velit
non poterit. Quod si quis
pontificem non habuerit
non poterit esse pontifex.

179



